



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini
Floret, Membri Historia Critica Philosophiae**

A Tempore Resvscitatarvm In Occidente Literarvm Ad Nostra Tempora

Brucker, Johann Jakob

Lipsiae, 1743

Capvt V. De Restavratiōne Philosophiae Parmenideae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29129

nionem peruertit. Ad quod, praeter dicta duplex quoque caussa concurrat. Nempe vel Aristoteles more scholae Alexandrinae in partes pertractus est, quo pacto genuinus Platonismus perit: vel eius odio nimis ornatus, excusatusque Plato est, ut invidia Stagiritae cumularetur et Platoni postponeretur. Quae maxime ratio coegit Patricium, Platonis doctrinam miris modis pingere et Parmenideis vel potius Telefianis meditationibus reddere *Φιλοσοφικώτερον*, magisque disciplinae naturali attemperatam. Tacemus adeo ineptiisse nonnullos, ut defumto externo quodam veteris Pythagoricae et Platonicae doctrinae habitu, suisque naeniis et lasciuientis ingenii somniis adaptato, crederent, Pythagoream Platoniceamque se sapientiam tradidisse. Quod memorabili Georgii Veneti exemplo illustrari potest, qui doctrina philosophica de musica Pythagorea hoc modo miro legentium fastidio usus est. Ex quibus omnibus inductione in vnum collectis recte concludimus, veram philosophiam ab hac secta parum fuisse adiutam, licet nonnulli passim acute, et in nonnullis verisimiliter philosopharentur.

CAPVT V.

DE RESTAURATIONE PHILOSOPHIAE
PARMENIDEAE.

§. I.

*Occasio re-
fuscitatae
philosophiae
Parmeni-
dae.*

Parmenideae philosophiae ex puluere et obliuione, in qua tot seculis abscondita et depressa iacuit, resuscitandae occasionem dedit philosophia naturalis Aristotelis. Haec cum magna quidem et multa promitteret, pauca autem reapse exhiberet, quibus de rebus naturalibus certa et clara superstrui explicatio posset, principia autem in cerebro magis Stagiritae enata, quam rebus naturalibus insita notionesque vagae, incertae et metaphysicis quibusdam praecisionibus abyssum naturalium mysteriorum non exhaurientes magno verum sitientes fastidio onerarent; excitati tandem sunt viri nonnulli docti, ingenio acres et animo satis fortes ad contemnendum abiiciendumque auctoritatis Peripateticae praecidium, ut physiologiam Aristotelicam examinarent, examinatumque et improbatam expellendam esse ex physicis philosophorum circulis statuerent, et meliora furrogare auderent. Cuius egregii facinoris gloria primo, nisi fallimur, in argumento naturali debetur BERNARDINO TELESIO. Is enim excitatus fortean Platoniorum nonnullorum disputationibus, cum Platonice quoque de rebus naturalibus disputatio minime satisfaceret animo, explosa illa atque Peripatetica philosophia, nouam dare phy-

physicae partis explicationem constituit. Quam cum Parmenideis tuto inaedificari posse principiis crederet, sepulta reuocauit in vitam, iisque nouum atque elegans superstruxit doctrinae naturalis aedificium, quo meruit, vt a nonnullis^a inter eclecticicos nouaeque philosophiae conditores referretur. Quam ei laudem non prorsus quidem denegamus, cum ipsius systematis nexum atque rationem suo debuerit ingenio. Quia vero id proprie fategit, vt Parmenidem nobis de rebus naturalibus accurate philosophantem sisteret^b, hoc capite eius philosophiam enarrandam constituimus, ostensuri, qua ratione Parmenidea placita ordinauerit, eiusque principiis ad physiologiam explicandam vsus sit. Miramur autem, virum suo iure in hoc eruditionis genere summum a plerisque, qui philosophiae historiam scripserunt, aut intactum mansisse, aut leuiter tactum esse, eosque qui historiam eruditam seculi XVI exposuerunt, huius viri mentionem satis accuratam plenamque non fecisse. Id quod ex inspectione eorum disci potest, quae NICOLAUS TOPPIVS^c, et LEONARDVS NICODEMVS, IMPERIALIS, TEISSIERIVS^d, NIC. COMNENVS PAPADOPOLVS^e et ex his alii de eo retulerunt. Egregie itaque de hac historiae philosophicae particula meruit, eruditissimus Io. GEORGIUS LOTTERVS noster, professor Petropolitani, nimis acerbo praematuraque fato elegantioribus literis nostraeque amicitiae ereptus, qui de *Vita et philosophia Bernardini Telesii* luculentum atque doctissimum nobis dedit commentarium^f, inque eo non res modo et philosophiam Telesii, sed vniuersam quoque seculi XVI historiam literariam luculenter illustrauit. Quem duces eo magis sequimur, quo accuratior eius est tractatio, isque fere nulum in hoc argumento post ipsum scripturis reliquit spicilegium. Consulatis itaque fontibus hunc commentarium inspicere Lectorem iubemus, prolixius copiosiusque ea explicaturum, quae strictim exponere instituti ratio limitesque poscunt.

§. II. Tulit elegantissimum BERNARDINI TELESII ingenium Italia, edidit Consentia, Neapolitani regni vrbs satis celebris et virorum clarorum ferax^g. Natus est anno MDVIII, ex familia et generis nobilitate, atque sanguinis gloria et literarum virtutisque laude incluta, teste Io. IMPERIALE^h, et, qui Telesianae gentis decora pluribus enarrauit, ELIA DE AMATOⁱ. Cum natura feruidum illi atque acre ingenium contigisset, et sui animi inclinatione et parentum amicorumque consiliis atque exemplis fere puer literarum studiis se tradidit. Maxime vero patru

Vita Telesii.

Antonii

a) VERVLAMIVS Hist. ventor. praef. T. II.

Opp. et passim. TOPPIVS Bibl. Neap. p. 344.

IACOB ECHARD, Bibl. Domin. T. II. p. 506.

b) VERVLAMIVS de Cupidinis fabula, Vol.

III. p. 238.

c) loc. cit.

d) Elog. T. III. p. 449.

e) Hist. gymn. Patau. P. II. c. 32. n. 146. p. 278.

f) Lips. 1733. 4.

g) Sexaginta duos Consentinos, eruditione claros laudat TOPPIVS libro cit.

h) In Museo Hist. p. 78.

i) In Pantapologia Calabria, Neapoli 1715. edita p. 126. vid. Act. Erud. Suppl. T. X. f. 7. p. 289 sq.

tonii Telefii exemplum et institutio illi adolescenti plurimum profuit. Magna inerat viro huic literarum tum humaniorum tum feueriorum cognitio, qua meruit a Carolo V, Caesare, vocari, vt Philippum II, filium literis intrueret, testibus libris eius doctissimis, quibus virorum doctorum elogia meruit ^k. Sane celebris philosophi laude dignum censuit THVANVS ^l. Hic eum, priuato quidem studio ^m rectae mentis atque eruditionis cupidae iuuentuti apud Mediolanenses bonarum artium scholas aperuisset, noster ad eum vix ex ephebis egressus missus est, vt et contubernio eius et institutione frueretur. Qui cum parentis curam atque diligentiam in educando formandoque adolescentis ingenio adhiberet, et eius animum sponte currentem addito calcari ad honesta eruditionis praemia consequenda magnopere accenderet, dici non potest, quantum Bernardinus in illis disciplinis profecerit, quibus ad maiora capeffenda iuuentus erudiri solet. Inde facultas, Latine eleganter scribendi in scriptis Telefii postea prodita, viresque eloquentiae, quae accedente iudicio paulo maturiore se vehementer commendarunt. Accessit, more istius aetatis, praeter facultatem poëticam, quam ei tribuit TOPPIVS ⁿ, Graecae linguae studium, quo velut clauē vsus est ad referanda Graecae philosophiae, in scriptis veterum latentis adyta. Dein patruo Antonio ad Romanum gymnasium vocato anno MDXXV, vt in illustri hoc teatro literas mansuetiores doceret, Bernardinus cum eo illuc abiit, et quicquid alimenterum studiis suis vrbs vel doctissimorum virorum praeceptis, vel hominum eruditissimorum exemplis magna copia suppeditabat, ad doctrinam suam amplificandam retulit: biennio vero post a latere auunculi Consentiam ad beneficium sacerdotale adeundum redeuntis auulsus dum Romae manet, cum reliquis incolis fatalem annum MDXXVII expertus est, quo Borbonio principe duce vrbs capta et direpta est. Tristissimo et infelicissimo id nostri fato euenit. Ipse enim licet silentes et tranquillas Musas nemini grauis sequeretur, facultatibus omnibus tamen a milite spoliatus et in carcerem infons detrusus est. Et liberatus forte ex eius squalore non fuisset, nisi Bernardini Martiriani, ciuis sui, qui laudato duci tum ab epistolis secretioribus fuit, et idem postea munus apud Carolum V imperatorem subit ^o, intercessione in libertatem fuisset vindicatus. Romam ita tantae cladis memoria perhorrescens ad Patauinās Musas concessit, seueriori se disciplinae traditurus, et philosophiae atque mathematicarum scientiarum mysteriis initiandus. Illam tum Hieronymus Amalthaeus ^p docebat, has Fridericus Delphinus ^q magno applausu tradebat. Illum itaque

k) Vid. IOVIVS in Elog. c. 122. p. 264. TRISS. Elog. T. III. p. 449. IMPERIALIS l. c. LOTTE-
AVS l. c. p. 7. not. d. et quos laudat.

l) Apud TRISSIER l. c.

m) Vid. COSTER. l. c. not. c. p. 8.

n) pag. 344. Nihil tamen poematum Telefii hodie extat.

o) TOPPIVS l. c. p. 46. DE AMATO l. c. p. 108. LOTTER p. 9. not. l.

p) Vid. TRISSIER T. III. p. 22. PAPADOPOL. T. I. p. 228.

q) Vid. PAPADOPOL. l. c. T. I. l. III. c. 10. n. 51. p. 305. Qui refert, tanta felicitate Venetiis medicinam fecisse, vt suspectus cucullatis fratribus tantum non in carcerem raperetur.

itaque moralem philosophiam explicantem audiuit, huic totum se tradidit, tantaque felicitate in artium mathematicarum secreta penetrauit, vt teste IMPERIALE ^r proprio ingenio noua, inexcogitata, imperscrutabilia prope quam plurima detegeret in doctrina optica. Quibus praefidiis munitus cum ad naturalem philosophiam accederet, mirum non est, vulgarem eius explicationem, quae tum obtinebat, illi non placuisse, nec arrisisse iuueni mathematicam ἀνεπίστατον et perspicuitatem sectanti vel Aristotelis libros phycos, quos Graece legerat et examinauerat; vel metaphrastarum Latinorum et Graecorum explicationes quas consuluerat, existimans vt ipse scribit ^s, *feri non posse, vt tot praestantissimi viri tot nationes, vtque adeo humanum genus vniuersum tot iam secula Aristotelem coluerit, in tot errantem tantisque.* Vt itaque certiozem planioremque sibi viam pararet, ipse sibi sufficiens de fundamentis proprii aedificii in naturali disciplina iaciendis cogitauit, eorumque primas sibi lineas formauit, damnatis Peripateticorum dogmatibus, quae minime sufficere in rerum naturalium φανωμένους causisque explicandis pulchre videbat. Ita quod gnauiter ingressus erat philosophiae curriculum Patauii feliciter absoluit, et summis in eo dignitatibus acquisitis coronauit, cumque deleta fere esset pristinae calamitatis, quam apud Romanos passus erat, memoria, in urbem rediit, ingenii diuitias aucturus et expliciturus. Cuius occasionem egregiam nactus est, cum felicitas illi obtigisset, vt virorum doctissimorum consuetudine frueretur, colloquiis eorum pasceretur, luminibusque praeclaris illustraretur. Inter quos cum magno eum fauore atque beneuolentia prosequerentur Vbalдинus Bandinellus et Ioannes della Casa, quorum ille Graecarum literarum erat intelligentissimus ^t, hic vero carminis gloria excellebat ^u, vterque autem iudicii acumine praestabat, libere cum tantis viris pro familiaritate amicitiae, quam cum illis contraxerat, cogitata sua de philosophia naturali communicauit; qui, cum egregie cuncta ipsis placerent, ad pertexendam, quam inceperat telam Telesium vehementer excitarunt. Ita philosophica eruditione praeclare ornatus summis passim viris innotuit, qui in aula Romana versabantur, cumque sanctiorem illi disciplinam iungeret, et maxima esset animi candoris morumque probitatis eius in curia Romani pontificis existimatio, ita carus omnibus fiebat, vt, quod auctore THVANO ^x scimus, Paulus IV, qui tum rerum sacrarum summae praeerat, illi vltro archiepiscopi Consentini dignitatem offerret, quam tamen, studiis aliis delectatus modeste recusauit, et episcopali tiara fratrem Thomam ornari passus est. In qua tamen Thuanii narratione temporum rationes non nihil impeditae sunt ^y. Illud certum,

LII 2

Tele-

r) loc. cit. pag. 78.

s) In Praef. Lib. de Rerum natura edit. Rom. 1565. Inde magna inerat Telesio Peripateticae philosophiae notitia, qua meruit vir Peripateticis rationibus potens et instructus vocari VERV-LAMIO de Fab. Cupidinis Vol. III. Opp. p. 238.

t) Vid. LOTTER. l. c. p. 14. not. u.

u) Notissimum Casae in Hist. lit. recentiori nomen et merita opera eius recudi fecit NIC. HIER. GYNDLING. Halae 1709. 8.

x) loc. cit.

y) Thomam Telesium summi apud Consentinos antistitis dignitate fuisse ornatum anno MDLXV, ex VGHRELLI Italia sacra T. IX. p. 359.

Telefium, post moram Romanam patria Consentia repetita vxorem duxisse, Dianam Serfali nobili inter Consentinos genere editam, quae cum trium eum liberorum patrem fecisset, praematura eum morte summa affecit tristitia, nec exiguo familiae damno decessit, studiorum philosophicorum non item. Quod enim non nemo poetarum recentiorum cecinit:

- - rara libris cura, ubi foeminae
 Quicta turbant tecta philosophi,
 Diesque ac noctes cor mariti
 Per stimulos agitant acerbos.

id Telefio quoque vxoris compedibus victo euenisse narrant, qui res eius descripserunt ^a. Non enim ipse modo fatetur ^b, *post studia iuuenilia scribendi munus se longo tempore intermisisse*, sed et alii referunt, cohortationes Bandinelli atque Casae a matrimonii curis, et administratione domestica Telefii fuisse impeditas. Ab his autem vinculis et vxoris morte, et filii, quem vnicum superstitem habebat, diligentia, cum is res domesticas regendas suscepisset, liberatus, ad otia philosophica rediit, et vt ferentiori mente diuini ingenii foetus eniteretur, secessum literarium meditatus, in praedium aliquod suum, sacris nemoris silentiis et ruris amoenitate ad philosophiam inuitans abiit, totumque se in literas ingurgitauit. In quo tamen otio ita negotiosus fuit, vt cum ab urbano strepitu et familiae interpellatione liber esset, veterum philosophorum scripta diligenti manu euolueret, et imprimis repetito studio Aristotelis libros relegeret et examinaret, plurimum autem temporis perficiendo, quod Parmenideis principiis inaedificare coeperat aedificio doctrinae naturalis tribueret, et congestis digestisque omnibus *duos de natura libros iuxta propria principia* componeret, inque illis Peripateticam super rebus naturalibus disciplinam euerteret. Suo tamen iudicio diffusus, meletemata sua cum amicis communicauit, quibus mentem inesse rectam sobriosque de philosophia sensus nouerat, et imprimis cum Ioanne Mario Madio Brixiano, rerum philosophicarum peritissimo viro ^c. Cuius calculum cum meruisset, excudendos eos de natura libros Romam misit, ubi anno MDLXV typis exierunt. Cum autem totus a natura ad detegenda explicandaque secreta sua opera factus esset, in isto labore perrexit, et de singularibus quoque ex disciplina naturali argumentis commentarios composuit, typisque ex parte vulgavit, nonnullos posteris edendos reliquit. Vix vero typographi carceribus liberata prodit Telefiana

constat. Ast eo tempore iam in matrimonio vivebat Bernardinus, Paulus IV, P. R. quinquennio prius morte decesserat. Si itaque Thuanus scriptor coaeuus deserendus non est, intelligenda haec sunt de consilio Papae, post ista demum tempora euentum sortito. conf. LOTTER. l. c. p. 16.

z) CONR. CELTES Lib. III. Odar. XXIII.

a) PAPADOP. J. c. b) loc. cit.

c) PAPADOP. l. c. T. I. L. II. c. 36. n. 167. p. 261. Fauebat Madiorum, vel Magiorum, familia Aristoteli, vnde ex ea Vincentius quoque Magius de ea philosophia, editis Simplicii et Alexandri Commentariorum versionibus meruit. Placide tamen Madium legisse, nec improbauisse suas meditationes in Praefatione testatur Telefius,

fiana physica, cum insperato quidem, ast laeto magnoque plausu exciperetur tum a viris doctis, tum a gymnasii Neapolitani ciuibus, qui licet totam aetatem suam in Aristotele consumsissent, laetabantur tamen, esse ipsis duces, quo ad insitam naturam libertatem philosophandi spem suam erigere possent. Ita nempe quae apud alios inuidiam parere solet, Telefio gloriam laudemque peperit dogmatum nouitas. Instigare itaque Telefium, rogare, instare, vt secessum relinqueret, solitudini vrbis frequentiam praeferret, et Neapolin ad docendam nouam philosophiam concederet. Vincique se passus est Telefius, atque in eam vrbem concessit, in qua tantum abest, vt de rebus naturalibus dicentis praesentia famam minueret, vt indies maior esset eruditionis eius et eloquentiae admiratio. Neque ea adolescentium tantum fuit, sed viri quoque maturo iudicio praediti, magnopere doctrinam Telefianam suspexere, et ab eo accendi se passi sunt ad scrutanda diligentius, quam a Peripateticis fieri solebat, naturae arcana, et colendam physicam. Quod studium auctore Telefio occasionem dedit societatis eruditae ineundae, quae iunctis inter se viribus diuisisque laboribus ad iuuandam rerum naturalium cognitionem et conculcandam Stagiritae auctoritatem in physicis conspirabat. Quam academiam, (ita laudabile institutum vocare more a Platonicis desumpto placuit,) vel omnium primam, vel inter primas fuisse et exemplum dedisse, quod maximo philosophiae emolumento posteri sequerentur, annales literarii testantur ^d. Huic academiae Telefianae nomen a conditore haesit, quamuis et ab eius patria Consentina dici soleat ^e. In hoc igitur vitae suae otio satis negotioso cum diligentissime naturae scientiam excoleret, ita carus factus est omnibus, vt principibus quoque viris maximopere probaretur, eumque vt liberalius philosophiae operam dare posset, Ferdinandus Carafa, Nuceriae dux in familiam suam adscisceret, et, quod ipse Telefius praedicat ^f, non in minore honore haberet, quam Alexander Aristotelem. Quae vero tot virorum cordatorum illi amicitiam paraerat libertas philosophandi, tandem vitae interitum attulit. Valde enim vrebatur fratres cucullatos, contemni Aristotelis auctoritatem, cuius philosophiae gloria tuebant: more itaque scholarum, hac superstitione captarum in Telefianam philosophiam insurgere, eamque atque academiam Telefianam iurgiis laceessere coeperunt: quae cum nimis impatienter ferret Telefius, contracto ex atra bile morbo, senex viribus vehementer prostratus est ^g. Patriae vero dulcedine tractus, desiderioque istis furoribus et vexationibus sese subducendi Consentiam a filio transuectus est. Ibi per octodecim fere menses exstatico similis non tam vixit, quam spiritum aegre duxit; deposuitque tandem grauem mortalitatis farcinam octogenario proximo anno MDLXXXVIII, sepultus in tumulo fratris

LII 3

Thomae

d) Conf. GIMMA Idea Hist. lit. Ital. T. II. c. 38. §. 2. p. 476. IMPERIALIS I. C. LOTTER. I. c. p. 25. not. (r)

e) Philosophia aliis praestabant ex focis Ser-

torius Quatrimani, Io. Paulus de Aquino, Iulius Caualcanti, et Fabius Cicala.

f) In Dedic. editionis Neapolitanae.

g) PAPADOPOL. I. C.

Thomae archiepiscopi. Quam beneuole autem viri literati, quique rerum naturalium cognitione luculentiori, quam in scholis pandi solebat, delectabantur, Telesii conatus exceperint, ex repetitis librorum *de Natura rerum iuxta propria principia* editionibus intelligi potest. Primus enim et secundus liber post Romanam editionem Neapoli quinquennio post anno MDLXX prodiit, integrum autem *librorum nouem opus, ad illustrissimum et excellentissimum D. Ferdinandum Carafam Nuceriae ducem* lucem, eo viuo, vidit Neapoli anno MDLXXXVI. Repetierunt biennio post Geneuenses eam editionem, adiectis PHILIPPI MOCENICI, *Veneri vniuersalium Institutionum ad hominum perfectionem, quatenus industria parari potest, contemplationibus V.* et ANDREAE CAESALPINI *Quaestionum Peripateticarum libris V.* Libellos autem, *de his, quae in aëre fiunt, et de mari*, quos viuis ediderat Telesius, adiunctis aliis, quos *de Cometis et lacteo circulo, de iride, quod animal vniuersum ab unica animae substantia gubernetur^b, de Vsu respirationis, de Coloribus, de Somno* scriptos Telesius reliquerat, vulgavit ANTONIVS PERSIVS, Telesio in vita amicitia coniunctissimus, Venetiis MDXC. Quamuis autem et Romae et Neapoli viuo Telesio patienter audiretur eius noua de naturalibus philosophia, post fata tamen indici expurgatorio libri isti adscripti, et donec expurgarentur, prohibiti sunt, quod fatum editiones apud Italos cufas rariores fecit. Neque tamen, non obstante hoc fulmine amici ei sectatoresque defuerunt, et morte quoque erepti laudes non reticuit academia Consentina, inter quos, quem modo nominauimus, Antonius Persius libros eius edendo SERTORIUS QVATRIMANI autem, *Compendium philosophiae Telesianae* lingua vernacula exarando praeclare de Telesio meruerunt. Patri-
cium autem Telesiana nonnulla in suum, quod molitus est systema naturalis philosophiae transtulisse, supra iam memorauimus. Praecipue autem Telesii partes secutus est Thomas Campanellaⁱ, de cuius tamen philosophia, cum omnes eius partes innouauerit, parte sequente dicitur. Aduersarios autem non cuculliones modo expertus est, vt supra dictum, sed viros quoque doctos. IAC. ANTONIVS MARTA enim Neapolitanus, iuris ciuilis et canonici publicus in gymnasio Patauino interpres, in vndecim annorum opere, quod *Pugnaculum Aristotelis* inscripsit, Peripateticam doctrinam contra Telesium defendere suscepit: sequutus hunc est, ANDREAS CHIOCCVS medicus atque philosophus Veronensis, qui Telesii sententiam de venis, neruis atque arteriis impugnauit. Vtrumque refellit, et pro Telesio respondit CAMPANELLA^k. IANVM CAECILIUM
FREY

h) Perperam illud adscriptum ANDR. CHIOCCO in German. Hist. phil. opere T. VI. p. 696. quod delendum.

i) Defensionem Telesii CAMPANELLA suscepit in Philosophia sensibus demonstrata, vbi quoque Iacobo Antonio Martae respondit.

Vid. de Libris propriis Lib. I. cap. 1.

k) Diligenter de his Telesii aduersariis, eorumque eruditione, meritis, scriptis et refutatione egit B. LOTTER. l. c. §. 11. p. 84 seqq. ad quem lectorem, ne nimis prolixus simus, remittimus.

FREY quoque in *Cribo philosophorum* Telesium examinasse, testis est CLAVD. SORELLVS ¹.

§. III. Qua vero via in explicandis rerum naturalium principiis in-
cesserit Telesius, ex laudatis eius libris *de Principiis rerum naturalium*
discendum est. Non sine utilitate tamen comparare cum scripto Telesia-
no licet BACONIS DE VERVLAMIO libellum *de Principiis atque origi-
nibus secundum fabulas Cupidinis et Coeli, siue de Parmenidis et Te-
lesii et praecipue Democriti philosophia tractata in fabula de Cupidine*^m.
In qua scriptione, ut erat Verulamius acumine insolito praeditus et pro-
funde meditabatur, subtilissimam et ingeniosam eius fabulae explicationem
physicam dedit, et ad Parmenidis, Democriti et Telesii physiologiam ap-
plicuit, nec contentus, eorum ex hac fabula principia exponere, ostendit
quoque, quo pacto, positus istis principiis porro philosophandum sit,
etiam in illis capitibus, quae illi non attigerunt, declaravit quoque quae
inter Parmenidem, Democritum et Telesium sententiarum atque placito-
rum intercedat affinitas, suumque de hoc philosophiae naturalis genere iu-
diciam interposuit. Ex hac Verulamii tractatione breuem Telesianae
physiologiae delineationem, addita *ἐπιρρίσεις*, adumbravit MORHOFIVSⁿ,
et nisi fallimur, ideam Telesianae philosophiae generalem inde quoque
haufit SORELLVS^o. Cl. LOTTERVS^p, autem ex ipso Telesiano opere
elegans doctrinae physicae dedit compendium, laudabili consilio, cum
non tantum dulcius ex ipso fonte bibantur aquae, sed comparationes
dogmatum quoque haud raro alieno sensu ea corrumpant, certe obscu-
rent et incertiora reddant. Ipse itaque Telesius audiendus est, qui, cur
ad nouam de naturalibus doctrinam descenderit, ex supra dictis satis con-
stat. Scilicet probe videbat vir Peripateticorum *φιλοσοφούμενων* accurate
gnarus, non Scholasticos modo pueriliter in rebus naturalibus explican-
dis ineptire, sed Aristotelem quoque coruos, quod aiunt, deludere hi-
antes, et principiis incertis, vagis, ac clari definitique nihil significanti-
bus inanes dimittere lectores. Quod ut demonstraret, et quot modis
vel laboretur prorsus, vel nutaret tamen et ambiguo pede fluctuaret Sta-
girita, magnam operis sui partem impendit, quod non modo *διδασκτικόν*
est, sed *ἐλεγχτικόν* quoque, et in euertendis Lycei principiis physicis plu-
rimum occupatum. Maxime autem offendit Telesium, virum fani iudi-
cii et pseudo-philosophiae spectris valde inimicum, quod principiorum
loco, quae sensus implere et naturae respondere possint, metaphysicas
speculationes, notionesque solis mentis praecisionibus nixas, et ex Ari-
stotelis cerebro tantum enatas, veri fitienti philosopho vendiderit^q. Ita-
que fabulosas et imaginarias Stagiritae semitas, quas tot argumentis euer-
tebat,

*Philosophia
Parmenidea
Telesii.*

1) loc. cit. Hic sobrie quoque de Telesio iudica-
uit, cui addendus VERVLAMIVS l. c.
m) T. III. Opp. ed. Elzeu, p. 208 seqq.
n) Polyhist. T. II. L. II. P. I. c. 13. p. 231 seqq.
o) De Perfect. hominis, P. III. p. 413 seq. vers.

Germanicae. p) loc. cit. c. 2. p. 35.
q) Legendum TELESII Prooemium, editioni
postremae praemissum, quod exhibet quoque
Ven. E. SAL. CYPRIANVS in Vita Campanella-
e, p. II seqq. et LOTTER. l. c. p. 40 seq.

tebat, relinquens, de principiis, quae sensuum fide niterentur, adeoque a nemine reiici possent, dispexit. Ea apud Parmenidem se deprehendisse ratus, qui ex calore et frigore rerum omnium naturam, ortum, qualitates et mutationes naturales deriuabat, in his duobus principiis perstitit, quodque Parmenides *κατά τι*, ita poscente systemate Eleatico, affirmauerat, simpliciter recipiens rerum naturalium phaenomena illis conuenienter explicuit, et quae paucis Parmenides dixerat, latius exposuit, unde recte eum Parmenidis interpolatorem vocauit B. I. CHR. WOLFIUS ^r. Nec a verisimilitudine discedit coniectura VERVLAMII ^s, occasionem systematis sui exstruendi captasse Telesium ex PLUTARCHI libello *de primo Frigido* ^t, quem ex aliquo tractatu antiquo, qui tunc temporis extabat, interiit autem, postea descriptum et desumptum esse ex eo suspicatur, quia haud pauca habet et auctiora et firmiora, quam solent esse auctoris ipsius, qui ea vulgauit. Ex quibus patet, errare non neminem ^u, qui Telesium philosophiam Pythagorae recoxisse asseruit.

§. IV. Ita vero, vt summam physicae Telesianae exhibeamus, de naturalibus praecepit Consentinus philosophus:

I. Tria omnium, quae existant, rerum principia sunt, agentes naturae duae incorporeae, et quae illas suscipit, corporea. Illae calor et frigus sunt, haec materia. Desumpsisse haec naturalium rerum principia Telesium a Parmenide, laudatum Plutarchi libellum legenti erit manifestissimum. In eo enim summa Telesiani systematis capita iam deprehenduntur. Huc enim pleraque redeunt 1. frigus non esse priuationem, sed principium actiuum et efficiens: 2. Inter frigida non minus, quam calida gradus esse, vt aliud alio magis minusque, hoc admodum, illud non adeo, vnum remissius, aliud intentius dicatur frigidum calidumue: 3. Manere tamen haud raro calida admixta frigidis, eamque commixtionem plurimum ad rerum naturam conferre: 4. Aduersarum harum facultatum oppositionem cum tempestiue a creatore instituta sit, non perimere, sed res potius constituere, eo quod consonantiam creator fecerit, eaque ita gubernet, vt et coeant et discessum faciant moderate, et nimia vtriusque vehementia adempta in rectum modum componat. 5. Calorem corporis tepore et laxitate, frigus eiusdem concretione atque densatione sentiri: 6. Vtriusque autem suum esse peculiare principium. 7. Frigus calori vt substantiam substantiae repugnare. 8. Exinde quatuor rerum naturalium principia resultare, calorem, frigus, siccitatem, humiditatem, iisque omnium elementorum motiones absolui. 9. Ignem calidum et splendidum esse, naturam oppositam frigidam et tenebrosam &c. Ex his, quae in sequentibus satis luculenter ad rerum naturalium causas Plutarchus applicat, euidenter constat, occasionem sumfisse ab iis Telesium, nouum

r) Ad ORIGEN. Philosophum. p. 87.

s) loc. cit.

t) T. V. Opp. p. m. 496. seqq.

u) Io. CONR. ARNOLD. diss. de Nouitate philosophandi §. II. p. 17. §. 26. p. 39.

nouum systema physicum incrustandi. Addidit tamen duobus Parmenidis principiis tertium, materiam, quod ex Peripatetica illi philosophia haesisse Verulamius conicit, MORHOIVS necessitate adactum iudicat, vt subiectum poneret, in quod operetur frigus et calor. Nobis, si coniecturae locus est, a Parmenide non tantopere discessisse Telefius videtur. Notum enim ex iis, quae de physica Parmenidea *Tomo primo p. 1163.* disputauimus, frigidum calidumue Parmenidem posuisse in rebus sensibilibus, et ita vnus Eleatici modificationes et affectiones sensibiles explicando, illud velut subiectum aliquod supposuisse, et ipsam quoque materiam hoc pacto agnouisse, quam tamen distincte in principiis numerauit Telefius, in hoc vno clarius ac Parmenides locutus. Certe, qui eum sequebantur, in rerum naturalium mutationibus exponendis materiam opponendo, frigoris et caloris qualitates illi induxissent, ex his Plutarchi verbis est manifestissimum: materia enim alias vehementius, aliasque languidius affecta, a contrariis facultatibus, alia aliis magis calida frigidaue exhibet. Ex hoc vero principio Parmenideo ita porro disputat Telefius:

II. Calor sua natura mobilis, immo ipsi motui tempore, natura ac dignitate praedit, eiusque causa est.

III. Frigus immobile est.

IV. A frigore terra, et quaecunque illi insunt, facultates; a calore sol constitutus est et stellae coelumque.

V. Agentia duo principia incorporea, corporea opus habent mole, qua sustineantur, ea est materia.

VI. Materia neque augetur, neque minuitur vnquam in vniuerso.

VII. Omnis porro actionis expers est, et sua natura inuisibilis ac nigra, de cetero autem vtriusque principii operationibus suscipiendis apta.

VIII. Duae istae naturae agentes facultate pollent non tantum se affidue multiplicandi et quaquaversum effundendi; sed et perpetuo sese inuicem oppugnandi, propriisque ex sedibus expellendi; actiones itidem atque passiones et alterius principii oppositi et proprias percipiendi sentiendique.

IX. Ex his principiis mutuo sibi oppositis duo mundi corpora primaria coelum atque terra ortum ducunt, reliqua secunda, ex terra omnia a sole diuersis modis immutata sunt effecta.

X. Ex terra mare e ductum, et continuo adhuc quotidie educitur.

XI. Diuersae, quibus res gaudere, et abs se inuicem secerni, videmus, naturae atque dispositiones diuersis, quibus calor operatur, viribus locorumque interuallis tribuendae sunt, cuius quippe actionem frigus subinde solet intercipere.

XII. Satis distincte tamen istae caloris differentiae vt et materiae percipi accurateque determinari nequeunt.

XIII. Ca-

XIII. Calor adeo in coelo propriam atque fixam sibi constituit sedem, ut in securo heic collocatus, ab omni frigoris, contrarii principii, insultu liber existat atque immunis.

XIV. Similiter frigus, quae natura opposita est, locum in terra, purissima illa, et infra maris abyssos depressa, suum occupat, quo coelestis ille calor penetrare prorsus non potest.

XV. Terra quatuor affectionibus primariis frigiditate, opacitate, densitate ac quiete instructa est.

XVI. Duo haec principia in intimis suae regionis partibus tranquilla, in extimis continua bella gerunt.

XVII. Oriuntur ex illo conflictu, nullis unquam induciis finiendo, qui in intercapedine coeli et terrae peragitur, corpora, quae tellus habet ac alit uniuersa.

XVIII. Corpora haec magis minusue siue calida siue frigida gignuntur atque dispositionem adipiscuntur, prouti iam de imbelliori principio triumphos egerit validius.

XIX. Coelum corporaque coelestia ex summo calore materiaque subtilissima fabricata sunt.

XX. Motum coelum stellaeque habent proprium, qui tamen subinde variat, neque ad eum opus est intelligentiis motricibus.

XXI. Coelum natura sua lucidum est, veluti et stellae, licet hae variis modis a se discrepent.

XXII. Plantarum corpori anima quaedam inest, spiritu illo, qui animalibus inest paulo crassior.

XXIII. Animalia vel perfectiora sunt, vel imperfectiora.

XXIV. Anima a deo in singulos homines, dum generantur immissa, et corporis uniuersi forma, incorporea item atque immortalis est.

XXV. Sensus omnes tactus sunt, vno auditu excepto.

XXVI. Animalia quoque reliqua praeter hominem ratiocinationis expertia haud sunt.

Summa haec sunt physicae Telestianae capita, quae partim ipse latius, licet, haud raro confusa et inordinata tractatione deducit, partim prolixius explicuit Verulamius, ipse ne nimis sumus legendus. Cuius ut exemplum afferamus, exposito principio vtriusque nisi vincendi alterum sibi que simile reddendi, et conatu terrae, solem conuertendi, et solis terram, impedito tamen ne fiat, sicque principium tollatur, causas operationum variarum caloris deriuat Telestius. Fieri enim statuit istam operationem vel per vim caloris, vel per dispositionem materiae, vel per modum subtractionis, velut concausas inter se concurrentes. Prout itaque calores variant, ita etiam ex mente Telestii operantur. Differt enim calor vi, copia, mora, medio, successione; successio variatur accedentia, recedentia, intentione, remissione, saltu, gradu, reditu, vel repetitione, per maiora aut minora interualla. Ipsi quoque calores inter se pro-

ut

ut gradu differunt, maiores minores absorbent, qui aliquid cum frigore commune habere videntur, aut cum ipso conspirare. Caloris vero successio per motum solis, tot generationum causa est. Per eam enim corpus solis se omnibus terrae partibus accommodat, et vicissitudine sua efficit, ut nulla eius pars calore careat. Ita de calore disputat, frigus tamen simili modo delineare, gradusque et mutationum atque operationum causas definire omisit, quare hunc defectum supplevit Verulamius, cuius cogitationes *αἱ ἐν συνόψει* repetit Morhofius, qui cum in omnium manibus sint, et sua placita Telestianis philosophematis tantum accommodauerit, ea huc non transcribimus. Simili ratione materiam a principiis actiuis subactam considerans, prout ad constitutionem vniuersi concurrat, ei vim tribuit actionem caloris promouendi, impediendi, mutandi, et differentias constituit quadruplices, nempe calore vel praeinexistente, vel non praeinexistente; ita ut calor, qui corporibus inest, ab adventitio calore excitetur ad agendum. Ex copia materiae vel eius paucitate; ex subactione materiae, secundum gradus suos, nempe lentoris, mollitiei, viscositatis vel tenacitatis, floris, vaporis, halitus, aeris. Porro ex clausura vel apertura corporis subacti &c. Quibus principiis subordinatis reliqua omnia attemperat, modumque separationis, qualitatum primarum connaturalium, coloris, lucis, tenuitatis et mobilitatis, et quae his opponuntur, velut accidentium explicat. Et de subactione quoque pari modo disputat, quae omnia fere ad victoriam principii actiui praeualentis, licet non aequali potentia, redeunt. Quae tamen heic loci curatius persequi instituti ratio finesque non patiuntur, et vel apud ipsum Telestium, vel apud Verulamium, cuncta eleganter enarrantem quaerenda sunt. Inesse systemati huic Telestiano multa non sine ingenio dicta, omnino fatendum est, nec enim sine hoc fulcro aedificium simile constructui potest. At inesse ei multa male cohaerentia et inexplicabilia, ipse Telestius fassus est, libere pronuncians: *Qui calor vel quantus, hoc est, quod caloris robur, et quae eius copia, quam terram, et quae entia in qualia inuertat, minime inquirendum esse, ut quod homini nulla innotescere queat ratione.* Praeterea recte obseruatum magno VERULAMIO p. 269. Telestium non minus ac Platonem et Aristotelem ex non entibus entia constituere, principia abstracta ponere, agentium principiorum bellum mirum et iniquum introducere, cum terra puncti instar sit, coeli spatia et regiones immensae: absurdum esse, terrae vires vsque ad solem peruenire, et frigidum eius eo adspirare posse. Addit his alia, v.g. dari actiones in rebus et effectus, quae ad colorem et frigus referri nequeant, esse res, in quibus calor et frigus in primo esse eorum indantur et generentur, ita ut principii ratio in iis ex vtraque parte deficiat, et quae his similia sunt, quibus immorari diutius scopus tractationis non patitur. Quibus tamen non obstantibus viro summo lubentes subscribimus, bene

de Teleſio ſentienti, atque eum vt amantem veritatis et ſcientiis vtilem, et nonnullorum placitorum emendatorem et nouorum hominum primum agnoſcentem. Maxime vero laudandum exiſtimamus Teleſium, quod Ariſtotelis principia conuellere auſus fit, quae res ei melius ſucceſſit, quam noui doctrinae naturalis aedificii exſtructio: quamuis dum attributa materiae in principia incorporalia mutat, ſuis telis, quibus contra Ariſtotelem pugnavit, confodi poteſt. Hoc vero licet in cauſa fuiſſe videatur, cur paucis arriſerit Teleſiana philoſophia, eaque paulo poſt parentis ſui fata exſpirauerit; ille tamen exemplum fuit nobile, et ad excitandos viros magni ingenii maxime vtile, vt maiori fiducia deſertis aridis Peripateticae phyſicae deſertis amoeniores campos quaerent, et proſcriptis expulſisque ſpectris lemuriſque, veriora et ſenſus implentia principia quaerent. Quibus ſe ducem praebuiffe, et animum addidiſſe, fatiſ gloriae eſt Teleſio.

CAPVT SEXTVM

DE

REſVSCITATIONE PHILOſOPHIAE

IONICAE.

§. I.

Ionica ſecta cur depreſſa manſerit?

Inter omnes, quas Graecia tulit, ſectas philoſophicas nullam eſſe, quae iniquiori fortuna uſa eſt, quam Ionicam, nemo hiftoriae philoſophicae ignarus eſt, vt id neſciat. Quamuis enim ſummos et ingenio admirabiles viros Thaletem, Anaximenem, Anaximandrum, Anaxagoram, Diogenem, Archelaum protulerit, quorum memoria vel hoc vno nomine venerabilis eſſe debet, quod ſepultum ſuperſtitionis tenebris orbem philoſophicum a praeeudiciis liberauerint, et rebus naturalibus primi omnium lucem aliquam accenderint; mature tamen deſiit, et inter Graecos neminem inuenit, qui laudabile inſtitutum continuaret, lumina tantorum virorum augeret, et quod in aliis ſectis factum, perfectiorem eam redderet et illuſtrioriorem. Quanquam enim in Clementis Alexandrini vitae hiftoria traditur, habuiſſe eum Ionicum quendam praeceptorem; in *antecedenti* tamen Tomo obſeruatum eſt, fruſtra hoc nomen ad ſectam Ionicam referri. Et PLVTARCHVM quidem cum in libello *de Placitis philoſophorum*, tum alibi, et poſt eum Pſeudo-ORIGENEM, quorum veſtigiiſ ex recentioribus inſtitere SCIPIO AQVILIANVS et THOMAS STANLEIVS, philoſophum *ἰωνῶν* Ioni-